Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1419
Quelle:
Copyright:

eorum, quae adhuc in *Alba Regali* tractabantur, ubi *Sigismundus 9. Jan.* dixit: *Nos sumus concordes in omnibus, placuit dyeta in Iglauia et ad festum sancti georij.* 2) Promissum Oratorum Concilii, servaturos Compactata usque ad illud tempus, datum 10. *Jan.* 3) Simile Promissum Imperatoris 8. *Jan.* 4) Simile *Alberti* Ducis *Austr. Georgii* Archiep. *Strigon.* et Cancellarii, celebris nempe illius *Casp. Schlickii.* 5) *Acta in dyeta Iglauien.* 1436. Perducitur Diarium a 5. *Jun.* ad 5. *Jul.* 6) *Tenor procuratorij Boemorum.* Idem, quo data est Commissio *Pragae* 1435. nunc renovata pro *Iglavia* 1436. 5. *Jul.* Ut in *Leibnitii Mantissa ad Cod. J. Gent.* p. 141. 7) *Tenor litere per nos* (Oratores Concil.) *date super firmationibus compactatorum*, ut *Leibnit. cit.* p. 146. 8) *Tenor cuiusdam litere testimonialis d. Imp. et d. Alberti.* Testantur se vidisse et in manibus habuisse Bullam plenae cum *Bohemis* tractandi et concludendi potestatis a Concilio suis Oratoribus missam, ut *Leibnit.* p. 145. 9) *Tenor alterius litere eorum de mandato.* Promittunt se usque ad Festum *Michaelis* a Concilio talem plenam Potestatem procuraturos, qualis huic Literae inserta est, ut *Leibnit.* p. 143. 10) *Tenor alterius litere.* Recognoscunt iidem Promissum Oratorum, quod Concilium *Bohemis* Bullam pro Communione sub Utraque daturum sit, ut *Leibnit.* p. 153. 11) Resumitur Narratio a 6. *Jul.* et exit in 20. tota manu *Haselbachii* negotiorum omnium participis exarata, mihi nullibi visa, nec fando accepta, cuique libenter diutius immoratus fuissem, nisi hoc in Opere de indicandis potius, quam edendis Monumentis ecclesiasticis res esset.

Fol. 237. Commentatio alia manu scripta, qua Autor ignotus commoda in utramque Remp. redundantia ex iis, quae *Iglaviae* gesta sunt, expendit et gratulatur. Ingreditur vero ita: *Magnas gratiarum actiones referre debemus omnipotenti deo, et letari et exultare, quoniam bohemi, qui tanto tempore abiecerant obedientiam sancte matris ecclesie, iam venerunt ad obedientiam* &c. Per singulos dein controversos Articulos ostendit, quantum contentionis ardor remiserit.

Fol. 239. *Oblata per Ambasiatores Boemorum sacro Concilio Basilien. in ipsorum abscessu ab eodem circa finem nouembris 1437.* Sunt IX. illa *Petita*, quae leguntur *Labb.* T. XVII. *col.* 211. ubi tamen perperam anno 1438. adfiguntur. Responsiones, quae ibidem *ordinatæ sed non datæ* dicuntur, a *Cod.* nostro absunt; earum vero loco adjecit *Haselbachius* brevem animadversionem in tecta eorum consilia, quae luci clarius exposita fuisse ait in Documento sequenti:

Fol. 240. p. 2. *Responsio Sanctissimi domini nostri pape pij* (II.) *ad Bohemos Oratores Anno* 1462. Manu *Haselbachii* biennio ante mortem. Narrat Acta Legationis hujus *Cochlaeus Hist. Hussit.* L. XII.